Quaestio medica ... an anginae gangraenosae emeticum? / [Antoine Garnier].

Contributors

Garnier, Antoine, -1778.
Boulland, Toussaint Gilbert.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1750]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/aakv5gut

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

22

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-quinto mensis Januarii, anno Domini M. DCC. L.

M. TUSSANO-GILBERTO BOULLAND,
Consiliario Medico Regis ordinario in ejus Castelleto,
Doctore Medico, Præside.

An Anginæ Gangrænosæ Emeticum?

I.

UT à Mechanicâ corporis humani, certis legibus, ac diversimodè ordinatâ pendet sanitas, sic à pluribus diversisque causis procreatur morbus; ex multiplici enim fonte exurgit, intùs sic & extùs oppugnatur homo; nulla ipsius ætas à morbis libera, nulla illius pars, quam morborum agmen non invadat; undiquè serpit mors, alii seriùs, ociùs alii mactantur, alii illo, alio alii morbo tolluntur, & quasi satis non esset singula humani corporis viscera suis cruciari morbis, quasi non sufficeret homines tot modis orco tradi, alia deteriora, frequentioraque ingruunt mala, quæ ubiquè periculum invehunt, nec temperamento,

nec ſexui, nec ætati parcent epidemicè ſævientia, ſed inter morborum epidemicè hanc, illam regionem infeſtantium familiam, eam numeres Anginæ ſpeciem, quæ hanc urbem Pariſienſem anno præterito inſolentibus ſymptomatibus irrupit, juvenilem ætatem repentè inſultavit, fœmineumque ſexum præſertim aggreſſa eſt; plures paucis diebus laceſſivit, necavit celeritèr, contagioſa, & funeribus famoſa illa lues; pueri quos intra ſex vel octo dies occidit, videbantur illius deliciæ, eò quòd debiliora illorum ſanguinis principia, hebeſcentes ſolidorum potentiæ, debiliorque corporis textura morbi epidemicè graſſantis efferos motus, & incendia non potuerint ſuſtinere; aliquandò poſt primos furoris inſultus velut mitigata illa lues, aliquantenùs inducias facere viſa eſt, ſed de novo, quaſi ex condicto repullulavit, & quos ſimùl torſit, nuſquàm deſeruit, nec ſuis cruciatibus immunes dimiſit; ab eâ immani Anginâ jugulatæ ſunt puerulæ quibus parcere videbatur; diebus octo ægram ſublatam vidi, conſtante mente, integriſque ſenſibus, cujus aperto cadavere, interiores faucium, laryngiſque muſculi phlegmone, maculis albis & duris, ſeu potiùs cruſtis, erant vitiati: rubor obſcurus ſe prodebat conſpicuum ad internam Trachææ Arteriæ membranam uſquè propenſum, qui Gangrænam evidentem nobis ſignificavit & patefecit.

I I.

AB aurâ ſalino-ſulphureâ perniciosæ mobilitatis proficiſci Anginam, quæ graſſando urbem Pariſienſem peragravit, non temerè dixeris; totum aerem inquinatum idcircò non aſſeras; ſed, certis de cauſis explodi & volvi, donèc in hunc, vel illum locum procumbat illa aura, ſic intactis locis, in uno commoratur, ſic relictis intervallis, longè, latèque ſe diffundit, nec eſt omnibus æquè perniciosa, ſed vires ſuas præſertim exerit, & morbum producit, ubi adeſt ad concretionem, & ſpiſſationem in humoribus propenſio, ubi adeſt in fibris ad relaxationem pronitas; illâ ratione, ſenibus & adultis parcit, pueros, puerulas potiùs exercet illa Anginæ ſpecies, lympham primò aggrediuntur innumeræ, oculos fugientes, in atmoſpherâ noſtrâ diffuſæ maligni moris ſalinæ particulæ, quæ cum aere inſpiratæ, in internos oris, palati, faucium, laryngis parietes impingunt, ex quarum impulſu in tenuiſſimas gutturis membranulas, per glandularum ſalivalium porulos penetrant, ſe ſalivæ immiſcent, ex ore fauces ſubeunt, tenues, & exiliſſimas muſculorum, glandularum fibrillas pungunt, corrodunt, lympham in illis ſiſtunt; nullæ gutturis partes, glandulæ tonſillæ, maxillares, harumce pravi moris particularum impulſu ſunt immunes; hinc magis vel minùs divagatur malum, variaque prodeunt ſymptomata, pro varietate affectarum partium, proùt violentiùs, vel ſegniùs interiores, vel exteriores faucium partes oppugnant, tantùmque in his non nihil corroſivi ſalis-ve acidi immixtum, quantùm ſævitiæ in multiplicibus ſimptomatibus dicas; cauſa certè ſingulari obſervatione digna, cui tàm in ſtatuendâ morbi diagnoſi, quàm in convenienti medicamine eligendo maximè conſulendum eſt.

I I I.

IN majori ægrorum numero, id Anginæ genus conſtantiori hoc ſe prodit modo, ægros repentè adoriuntur gutturis calor, linguæ magis, vel minùs ſpiſſatæ dolor, uva excreta, & in longitudinem porrecta ad fauces ſerpit; primis diebus febris perexigua videtur, macula alba Gangrænæ prænuntia amygdalarum alterutram cooperit, aphtam ſimilitudine repræſentat, nec inflata ad fauces, uvam deſcendens ià larynge ad membranam pituitariam panditur; tribus vel quatuor diebus elapſis ngraveſcit malum, intenditur febris, os tetro odore, qualem præ ſe ferunt ſpiritus urinoſi volatiles, inficitur, & alios inficit; humore acri & putido tument glandulæ; macula ſpiſſatur, indureſcit, & in cruſtam convertitur, quæ brevi exſolvitur, ut alia ſubjacens exeat; adaugetur febris, nec perſentitur in pulſu durities; è naribus fluit ſanguis, balbâ nare loquitur æger, pallet facies, conduplicantur carotidum ictus, ægrotus gravedine laborans frequentèr emungit, ac ſolam pituitam

per nares emolitur, progreditur ulcus, per Trachæam Arteriam ſerpendo Pulmonem pervadit, anguſtior fit ſpiritus, Gangrænâ Pulmo afficitur, antè nonum vel decimum diem vita extinguitur; longiùs, latiùs, tardiùs, vel ſeriùs diffunditur flagitium, pro vi cauſæ morbum proferentis; non nunquàm extrinſecùs obſervantur tumores, inflantur parotides, conſtat febris, ſorbent, hauriunt facilè ægroti, rectè deglutiunt, nullamque ſuſtinent ſitim; humida eſt, velùt ſanorum lingua; valdè fætent illorum excrementa, nigroque colore inficiuntur; adultis, ſenibus neglectis, pueros teneræ ætatis, & infrà annos quindecim potiùs adoritur illa lues, ut potè qui ſint habitûs calidi, & humidi, irrequieti, nec non ad motum celerrimi ſe conſiſtere non valeant, quia edaces, & potulenti ſingulis momentis eſuriunt, & ſitiunt, ſic largioribus cibis & poculis indulgent, eò quòd ſint texturæ laxioris, mollioris, hinc aeris intemperiei, & maleficiis obnoxiores; lympham primò inquinari, ſatis eſt argumenti, quòd pueri ferè ſoli, vel ſaltèm antè omnes hâc labe inficiantur, eò quòd lymphâ affluant, ac proindè vaſis ipſam continentibus, adultis, ſenibus-vè præſtent, undè citiùs percutiuntur, citiùs victimæ mactantur.

I V.

ANGINAM Gangrænoſam à rareſcentiâ exordium ſumere ne dubites; lympha turgidior, mobiliorque facta, ubiquè vaſorum arietat, ſubtiliores illius partes diſſipantur, celeriori, promptiorique fugâ cæteræ diſſiliunt, ſolidorum ſine lege colluctantium multiplicantur impetus, ſtatim atque hæterogeneæ aeri immixtæ particulæ, necnon cum aere inſpiratæ ad lympham pervenerunt, velùt totidèm igniculi ſubvertunt illius compagem, illiuſque circuitum retardant, præpediunt, undè morbus ille vires adipiſcitur, putredinis fomites, futuræ Gangrenæ vel Sphaceli ſigna, ut probant tot ægrotantium hoc morbo extinctorum funera; necnon Cadaverum apertura; venenoſum hunc halitum faucium glandulis, muſculiſque primò inſultare ſatis, ſuperque declarant invadentis morbi ſymptomata, irritatis enim criſpatiſque Nervis ab inſolenti venenatâque aurâ, lymphæ, ſanguinis impeditur circulus, in minimis præſertim tubulis nectunt moram, in illis lymphæ momentum creſcet, tumens magis, majus ſpatium occupare conabitur, major illius in tubulorum parietes niſus, fortiùs, crebriùs contrahentur illorum tunicæ, undè tot mala, ipſa mors, producuntur: in eo præcipua verſatur Medici ſagacitas, ut acutè judicet de morbi ingenio, necnon auguretur ex ſymptomatum ferociâ, ne illum fugiat morbi indoles, ne illum ludat ſymptomatum dolus; exploranda imprimis morbi natura, perpendenda ſymptomatum magnitudo, ut votis reſpondeant adhibita Medicamina; occaſio celeritèr, dùm ſe præbet, arripienda; cunctari ſæpè fit nefas; incipiente igitùr morbo funde ſanguinem, repetitiſque vicibus funde; depletis majoribus vaſis, in febris remiſſione ſtibiato tartaro ſubmoveatur ventriculus. In Emetico reperitur medicamentum, conglutinatis hærentibusve ſuccis congener, & ad ipſis priſtinam conciliandam fluiditatem idoneum; naturam hujus remedii ſi explores, ſaponaceum eſt, ſulfure antimoniali & ſale alkalino confectum, craſſioribus humoribus attenuandis, ſubigendis aptum: in magnâ doſi adhibitum tanquàm Emeticum purgans per os & inteſtinorum cribra, craſſiores ſuccos propellit: in minori doſi uſurpatum, ſolvit lympham & humores, diaphoreſim promovet: nec febrem ad-auget, nec fluida periculosè commovet, nec perturbat ſecretiones, quantùm proſit in morbis acutis evincit experientia. Hâc arte lymphæ & cruoris circuitûs in gutture tolluntur obices, humorum in primis viis ſtabulantium egeſtione, noxia quæ febrem adaugendo, lymphæ motum ſubverterent, putredinem parerent, his præſidiis propugnantur, arcenturque.

V.

MULTO magis expedit ſuccorum redundantium imminutionem Phlebotomiæ, Emeticis, quàm naturæ committere; celere, & proficuum remedium

exigit illa lues; cave igitùr ut quæ usurpaveris medicamina, symptomatum sævitiæ respondeant, quò sanguinis motus intensior, eò potentioris energiæ seliges acida; quò maculæ albæ plures erumpent, eò sæpiùs subduces alvum Emeticis; quò pulsus frequentior & elatior, eò generosiùs mittes sanguinem; sed ne sileas, ne te decipiat dolosa tranquillitas; relictos iterare cursus, fucatâ quietis imagine, non rarò meditatur tàm perfida ægritudo; quæ foris extincta apparebat, vires intùs, & clanculum causa recolligit, mòx datura deteriorem symptomatum progeniem; à remediis idcircò non abstinendum, nisi crustæ albæ, suo defraudatæ pabulo aruerint, nisi cum illarum lapsu interni ardoris testis odor pravus, sanguinis è naribus stillicidium simùl & balbuties evanuerint: at si febris primis diebus sola decesserit, non ideò fide signo mendaci; aliàs quæ tibi nimis credulo imposuit tranquillitas, novis supervenientibus maculis albis, recrudescente morbo mortis ægri causa erit; his in angustiis ad Emeticum tanquàm ad salutare præsidium confugias, ne lympha turgidior explosione factâ, tenues faucium & laryngis tubulos citò disrumpat, & ibi funestos sibi pandat exitus; Medici est abdominis claustra reserare, stagnantibus liquoribus vias minùs periculosas aperire per emunctoria ventris; nam statim atque ad expulsionem humorum ventriculum, & intestina sollicitavit remedium, jàm mitigantur, & recedunt, quæ metum instantis lethi incutiebant symptomata; urgente verò febre cum certâ pulsûs duritie, manante è naribus sanguine, altera macularum in gutture eruptio, mittendi sanguinis præsertim è saphenâ arguit necessitatem; sed is sive largo flumine, sive repetitis vicibus educendus, ne majori rarescentiæ detur locus, ne exhauriantur vires, ne remittente febre, decrescentibus symptomatibus, recrudescente iterum morbo, maculæ novæ idem suadeant; acidis liquoribus largiùs indulgendum, si molesta non sit tussis; ut autem Emeticum prosperè succedat, eo ipso momento propinandum quo remittit febris, quo arcenda putredo; à putredine enim erumpunt maculæ albæ Gangrænosæ, sanguinem putrescere nullus inficias iverit, nisi quem latuerint illius principia; sed quid ratiociniis, vel verbis opus est, dum se sensibus putredo præbet aspectabilem, dum putredinem exhalat os ægrotantium, & dum virtutes Emitici à Medicis cognoscuntur?

Ergò Anginæ Gangrænosæ Emeticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Alexander Vieillard.

M. Ludovicus - Guillelmus le Monnier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius Regiique Nosocomii San - Germani in Layâ, Regiarumque Franciæ, Londinensis ac Berolinensis Academiarum Socius.

M. Josephus-Exuperius Bertin, Supremi Walachiæ & Moldaviæ Principis Medicus ordinarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius Veteranus.

M. Carolus Dionis.

M. Gedeon de Rabours.

M. Laurentius Ferret.

M. Michael-Josephus Majault.

M. Antonius Ferrein, Professor Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Bartholomæus Murry, Rei Herbariæ Professor designatus.

Proponebat Parisiis, ANTONIUS GARNIER, Lingonæus, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.